



Disputatio Prima  
DE AVGVSTA  
NA CONFESSIOE,

Cuius Theses subiectas,

GVBERNANTE DEO, PRÆSIDE  
ÆGIDIO HVNNIO, S. Theol. D. & Professore,  
M. IOANNES VUEGELINUS Augstanus,  
in Collegio Disputationum Theologicarum  
privato, die 23. Iunij, horis pomeri-  
dianis, defendet.



Cum Gratia & Priuilegio Electorali.

WVITTEBERGAE.

Excudebat Matthæus Welack.

ANNO. M. D. XCIII.


Handwritten number 4.





## DE AVGVSTANA CONFES- sione Disputatio Prima.

1.

 Noniam constitutum nobis est in sacrarum disputationum Collegio privato capita religionis Christianae eo ordine ventilare, & collatis sententijs illustrare, quem in Augustana confessione observatum cernimus: sunt nobis primum de ipsa illa Confessione generatim quaedam ex historijs recognoscenda.

2. Augustana Confessio sic dicta est, ab urbe Augusta Vindelicorum, non quod ibi demum nata sit nostra religio, ut Pontificij titulum Augustanae confessionis exagitant: alias enim promptum foret Symboli quoque Niceni à Nicea urbe sic denominati auctoritatem per consimilem ludum iocumque Papisticum extenuare.

3. Sed Augustana dicitur, quod in Comitibus Imperialibus Augusta religionis potissimum causa celebratis exhibita est & oblata Carolo Quinto Caesari, non sine presentissimo discrimine capitis & fortunarum exemplo constantiae ad omnem posteritatem commemorabili.

4. Oblata verò est, non Theologorum nomine, sed principum & civitatum Evangelij doctrinam profitentium auctoritate publica.

Scopus Conf. Aug.

5. Scopus ac finis, in quem fuit directa, erat hic, ut de erroribus, qui ab adversa parte praeter ius fasque eis imputabantur, sese purgarent Caesari, & quae sua esset religio distincte & per capita recenserent, reiectis caeterorum fanaticorum & hereticorum veterum & neotericorum perversis opinionibus.

Autor

6. Autor Confessionis non Philippus primò fuit, sed, post DEVM, Lutherus: cuius ministerio Dominus hanc doctrinae caelestis lucem, discussis errorum tenebris, in his terris accendit: qui prius etiam, quam Principes & Theologi protestantes Augustam essent profecti, hunc ipsum in finem quandam exhibenda illius Confessionis *σύνολον* septendecim articulis complexus est, atque sic res ipsas seu materialia suppeditavit, quae deinde Philippus cum socijs in iustam formam confessionis redegit.

7. Nee



7. Nec tamen exhibita ea prius est, quàm Lutherò, mandatu Electoris Coburgi subsistenti per celeres transmitteretur censenda, ut calculo Viri D E I, qui ceu currus & auriga habebatur Israelis, approbata & sue, quam hactenus adversum Pontificios aliasq; sectas traderat, doctrine conformis agnita, in Cæsaris ac Procerum Imperij augustissimum veniret conspectum.

8. Quoniam autem hodie Zwingliani seu Calviniani sese furtim in societatem huius Confessionis insinuare tentant (non tam quod serio illam approbent, quàm ut pace religionis, qua fruitur, ipsi quoq; uti frui possint) atq; interim hoc pretextu nocent Ecclesiis confessionem hanc verè amplexis & professis: retundenda est hominum audacissimorum extrema confidentia, & demonstrandum, quàm mendaciter exoletas suas merces sub augustissimo nomine Confessionis huius venum extrudere non vereantur.

9. D. Erhardus Snepsius, qui ipse quoq; celebribus illis comitiis Augustanis interfuit, in sua Confessione de Eucharistia disertis verbis ita scribit; Nemo tum omnium eorum, qui Augustana confessioni adiuncti, & in hunc deliberantium congressum admissi erant, cum Zwingliani sensit. Interfui enim & ipse, & pars quadam eorum, que gerebatur, quanquàm nullo meo merito, fui; ne quis me referre, ab alijs, audita existimare, & testimonio idcirco pondus detrabere possit.

10. De Lutherò dubium nullum est, quin à Zwinglij & sociorum eius sententia, que hodie Calvinianorù ad unguem est, toto pectore abhorruerit. Cuius vel hoc indubitatum argumentum est, ut innumera reliqua brevitatis causa taceam, quòd anno superiore proximo, qui erat 1529. Marpurgi Zwinglium pro fratre agnoscere constantissimè recusavit, quantumvis id Zwinglius flens ab eo peteret.

11. Philippus Melanthon itidem non solum in eo Colloquio Marpurgensi Oecolampadio sese fortiter opposuit: sed ipso Comitiorum tempore, spontè per literas à Lutherò petijt, cohortaretur Hassorum Principem Philippum, ne continuis sollicitationibus Helvetiorum in illorum partes abduci sese ullo pacto sineret.

12. Eidem inclyto Landgravio Philippus Melanthon unà cum  
A 2 Brentio,



Brentio, epistolâ typis post vulgata rationes gravissimas ostendit, ob quas cum Zvinglianis in errore persistentibus fraternitas iniri nequeat.

13. Eodem anno pro substantiali presentia corporis & sanguinis Dominici stablienda, sententias testimoniaq; Patrum collegit Philippus, ex quibus novitatem ac vanitatem dogmatis Zvingliani, ut orthodoxe vetustati ignoti imò contrarij, contra Zvinglium & Oecolampadium evinceret.

14. Biennio post, sancta admonitione à Zvinglianis somnijs Bernhardum Rotmanum est dehortatus, ut & Anno 36. in formula Concordiæ VVittebergensis indignorum manducationem tutatus: eandemq; anno 37. atq; sic septennio post oblatam confessionem, approbatione Smalcaldicorum articulorum, quibus corpus & sanguinem Christi non tantum à bonis (sed etiam à malis Christianis sumi perhibetur, liquido professus est.

15. De cæteris Theologis nihil attinet operose agere, cum publicè constet, illos in colloquio Marpurgensi stetisse à Lutheri partibus, non Zvinglij aut Oecolampadij. De quorum sinceritate & à Zvinglianis dissensu publico D. Erhardum Snepfium locupletissimè testantem supra audivimus.

16. Evincit id res ipsa: siquidem hi qui tempore oblatæ Augustanæ Confessionis partes Zvinglij sequebantur, propria sua Confessione sub quatuor Civitatum nomine offerenda, sese à Confessione Principum manifestissimè separarunt.

17. Et erat nostra sententia decimo articulo disertè posita: Zvinglianorum autem opinio per antithesin eidem articulo subnexam, aperte reiecta & improbat a his verbis: Et improbant secus docentes. Quod eò progressu dilucide & p̄ Deo demonstrabimus.

18. Hinc Georgius Spalatinus, Saxonie Concionator aulicus & Lutheri amicus intimus, qui & ipse fuit pars ac rerum Augustæ gestarum fidus & oculari testis, disertè scribit: circa singulos articulos Augustanæ Confessionis reiectam esse contrariam & erroneam opinionem ac hereses. Eeluti SACRAMENTUARIORUM, Anabaptistarum, &c  
quas



qua de re vide Tomum V. Germanicum operum Lutheri. Hic quoni-  
am Sacramentarios ab Anabaptistis luculenter secernit: valere nihil  
potest elusio, qua quis Sacramentariorum nomine ipsosmet Anabap-  
tistas à Spalatino notatos obuertere forsan velit.

19. Principes ipsos, quorum nomine scripta Confessio est à dogma-  
te Zvingliano fuisse prorsus alienos, publicè notum est, & Iohannes  
Sleidanus, lib. 7. sua Historia id testatur.

20. Et quoniam in articulis Confessionis recensent subscripti  
Principes & civitates, quid ECCLESIAE suae de capitibus doctrinae  
sentiant ac doceant (sic enim habet initium capitulum: Docent Ecclesia  
nostra) & verò exploratissimum est, eas protestantium Ecclesia, do-  
gma Zvinglij fuisse publicè detestatas: nonne falsum testimonium di-  
cunt, qui Augustanam Confessionem congruere cum Zvingliano  
dogmate, hoc est, Ecclesiarum Principum & civitatum, Zvinglij doctri-  
nam professas esse mentiuntur?

21. Certè Calvinus ipse hanc confessionem adeò sibi suisq; socijs  
aduersam esse intelligit, ut scribat, illam fore facem ad incendium  
excitandum, quo tota Gallia conflagret.

22. Beza quoq; perspicuè scribit, Confessionem Augustanam sibi,  
in nonnullis ac praesertim in capite de Cæna Domini NON PROBARI,  
nisi comoda interpretatione leniatur: id est, nisi à genuino suo  
sensu deiecta ad peregrinas opiniones in illa reprobatae, ea, quae huic  
Sacramentario Spiritui usitata est, fide detorqueatur.

23. Hinc & Helvetij, qui ceteris Calvinistis apertiores sunt, Con-  
fessionem Augustanam, quod à sua, quam ipsi profitentur, opinione  
discrepare non obscure intelligunt, hactenus consensionis suae calculo  
probare detrectarunt.

24. Sunt haec sole clariora documenta, Calvinistas quamdiu su-  
os errores defensant, sese Confessionis Augustanae socios citra enor-  
mem impudentiam venditare non posse.

25. At inquit: Confessio illa primitus oblata in decimo articulo  
germanici exemplaris approbat Transsubstantiationem Pontificio-  
rum, dum corpus & sanguinem Christi verè sub Specie panis &  
vini



vini in Cena presens esse affirmat &c. Ergo fuit opus, ut recognosceretur, & ab illis Papistarum errorum mendis atq; stipulis castigaretur.

26. Ut hoc figmentum solide refellatur, initio scias (si queratur ex Calvinistis, ecquid ergo de exemplari Latino censeant, in quo hæc speciei vox non extat) scindi illos in duas diversas opiniones, quarum utraq; sese miserrimè ingulat & in lutum confusionis proculcat.

27. Aliqui enim respondent, de Latino exemplari nullam se movere querimoniam, utpote cui cum Papistica Transsubstantiatione nihil sit commune.

28. Et his sanè rotunda hæc datur responsio: Si Latinum exemplar à dogmate Pontificiæ Transsubstantiationis alienum est: Ergo & Germanicum. Ratio consecutionis est hæc; quia & absurdum & inconstantissimos illos testes ac confessores Dei & verbi ipsius, viros Principes, extremè foret iniuriosum, putare, ipsos adeò fuisse in re tanta leves & inconstantes, ut eodem tempore, & Confessione prorsus eadem, lingvis duntaxat differente, repugnantes tuerentur sententias: & in Latino quidem exemplari sententiam profiterentur veram, in Germanico autem falsam ac pontificiam.

29. Ad hæc si Latinum exemplar non est Papisticum (ut certè non est) cur igitur Latinum illud Anno 40. est mutatum? cur antithesis, quæ Sacramentariorum errori erat opposita, hinc expuncta est? Et cur huic mutationi prætextitur Transsubstantiationis dogma, quam in articulo decimo Latini exemplaris non contineri fatentur ipsi?

30. Iis porrò, qui & Latinum & Germanicum exemplar sensu Papistico scriptum mentiuntur, propter Voculam Speciei in Germanica Confessione usurpatam: primum hoc responsum esto; quod ipsa temporum & rerum gestarum series hanc vocabuli (speciei) maledicam interpretationem evidentissimè confodiat.

31. Siquidem Transsubstantiatio ex agro Ecclesiarum Lutheri doctrinam amplectentium multò priùs fuit proscripta, quàm Confessio Augustana unquam vel scriberetur vel offerretur.

32. Circa ipsa resplendentis doctrinæ cælestis initia, Lutherus anno 20. in libro de captivitate Babylonica, interpretatione verborum

cœnæ



cæna, qua torquentur illa ad Transsubstantiationem asserendam scribit esse absurdam. Et inter reliqua memorat, Ecclesiam ultra mille ducentos annos rectè credidisse, nec usquam, nec unquam de ista Transsubstantiatione, portentoso scilicet vocabulo & SOMNIO (inquit Lutherus) meminisse sanctos Patres. Ibidemq; Transsubstantiationem refert inter N V G A S metaphysicas, de quibus nugati sint Theologi sententiarij.

Tomo. 2.  
Germ.  
Ienen.

33. Anno 22. lib. de abusibus Missæ scribens, annihilationem panis, quam profitetur Romanus Pontifex, refert inter inanes Papismi stupas & stipulas.

34. In libro contra Regem Angliæ pronunciat, novissimum esse impiorum & cæcorum Thomistarum figmentum, quicquid blaterent de Transsubstantiatione. Et mox subijcit: Decerno, IMPIUM esse & BLAPHEMIUM, si quis dicat, panem transsubstantiari.

35. Nec resorbuit errorem hunc Lutherus scriptis polemicis, sed ibi quoq; constantissimè reprobavit.

36. Etenim Anno 24, contra cælestes Prophetas agens, disertè illam panis annihilationem rejicit, & distinctionem substantiarum panis & corporis Christi, similitudine ferri & ignis, item Deitatis & humanitatis in Christo luculenter illustrat.

37. In maiore Confessione Anno 28. ait: Nos corpus ipsius non conficimus ex pane, ut nobis affingit Spiritus (Sacramentarius) imò neq; dicimus, corpus ipsius, quod dudum factum est, adesse, quando dicimus, hoc est corpus meum.

38. Et rursus: Scholæ Academicæ tam diu se in orbe Christiano macerarunt, donec eò se adegerunt ipse, ut docerent, in sacramento non manere panem essentialiter, sed solam speciem.

39. Et nonnullis interpositis: Hic Sophista retinuerunt corpus, neglecto amissog; pane, dicentes, panem evanescere & amittere suam substantiam super verbis cæne.

40. Atq; iterum paucis interiectis: Ita (inquit Lutherus) hæc arguta capita ad se mutuò collidebantur, ut Sophistas oportuerit fingere miraculum, quo pacto panis evanescat & substantiam suam annihilari sinat,

41. Hæc



41. Hæc omnia modo memorata scripta sunt à Luthero annos complures antè, quàm de scribenda multoq; minùs in publico Imperij confessu offerenda tali Confessione quicquam cogitare potuit.

42. Eodem modo & D. Brentius Transsubstantionem Anno 27 in sua exegefi super caput Ioannis sextum palàm reiecit, ubi mutationem substantie panis in substantiam corporis *nugas* appellat, de quibus disputent vani Papista, qui ex quovis quidvis fingant. Et mox illam mutationem panis in corpus Christi, somnium Papistarum nominat.

43. Porro Germania superioris Ecclesia in Syngrammate Suevico itidem integrum quinquennium antè scriptam Augustanam confessionem improbarunt Transsubstantionem, non modo cum scribunt, nos panem ipsum, *QVA PANIS est, tractare, frangere, edere, dentibus atterere: sed etiam quo d' inquirunt: Panis vivificus est, quia caro Christi, qua iam per verbum panis accessit, vivifica est, vitam præstans mundo, MANENTE interim PANE, IN SUA, QVA ANTE FUIT, SUBSTANTIA.*

44. Quoniam ergò ex iam dictis indubitato constat, Transsubstantionem ante comitia Augustana dudum fuisse ex Ecclesiis protestantium explosam: qua fronte audent Sacramentarij speciei vocem in Germanico positam exemplari per Testimonium falsum ad Transsubstantionis detorquere delirium?

45. Cum tamen nostrates non speciem nudam & à substantia panis ac vini vacuam intellexerint: sed hac appellatione visibilia duntaxat & in oculos incurrentia Symbola, atque sic species solidas & cum substantia veritate coniunctas notare voluerint.

46. Eodem sensu, quo & D. Augustinus citra ullam Papisinè suspicionem ait in sententijs Prosperi, Sacramentum carne duobus constare, visibili elementorum SPECIE, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.

47. Bullingerus ipse, quem certè non pontificium, sed è Zwingliana cohorte fuisse constat, utitur hac speciei voce, cum scribit in Commentario suo super Esaiam, in cæna sub visibilibus SPECIE.

BV 3

quo sensu nostrates  
vocabulum Speciei  
intelligerint



*BVS carnem & sanguinem Domini spiritualiter per fidem ad salutem cum gratiarum actione percipi.*

48. *Et quid vulgatum magis, quàm quod etiam num hodie absq[ue] suspitione erroris dici solet, cœnam Domini non sub una, sed sub utraq[ue] SPECIE esse administrandam? Quam phrasin ipse zwinglius, Oecolampadius, Bucerus, & alij ex Sacramentarijs ipsimet sua subscriptione Marpurgi comprobarunt.*

49. *Certè si fuisset Augustana confessio in Articulo cena habita pro Papistica, nunquam illi Theologi, qui in formula Concordie VVitebergensis Anno 63 inite Transsubstantiationem damnarunt, approbassent Augustanam confessionem, si illam de asserto hoc impio dogmate habuissent suspectam.*

50. *Iam verò illi ipsi subscriptores Concordie VVitebergensis cœ post damnatam Transsubstantiationem clarissimè profitentur, velle cœ se iuxta confessionem & Apologiam Principum Euangelium profiterentur IN OMNIBVS articulis SENTIRE & docere.*

51. *Quod de Confessione mutata & mutilata illa propterea nequis intelligi, quòd ea tum temporis haud dū hanc lacem aspexerat, quippe circa Annum 40 demum hic VVitebergæ concepta & nata.*

52. *De Canone Græco & Vulgarij verbis in Apologia Augustanae confessionis allegatis, ubi panis in corpus Christi mutari dicitur, facilis & expedita responsio est.*

53. *Vt enim omittam, quòd Patres nonnunquam dicunt, panem mutari in Christi corpus, non respectu substantiæ, sed ratione usus mystici, & cum corpore Salvatoris unum fieri, non essentiale unum sed sacramentale.*

54. *Accedit insuper, quòd ea verba (ut hoc in allegationibus solenne est, non simpliciter, sed secundum quid allegantur, non ad probandam Transsubstantionem, sed, ut ipsamet Apologia se declarat, quia faciunt ad asserendam corporalem PRÆSENTIAM.*

55. *Quodq[ue] nihil habeat Apologia commune cum illa Romanensium METROÏQ[ue], hinc promptum est inferre, quia in ipso usu nominat PANEM, nominat VINUM, & pronunciat, corpus & sanguinem Christi*

B

Chri-



Christi exhiberi cum his REBUS, quae videntur, PANE ET VI-  
NO.

56. Pontificij è contra docent, corpus & sanguinem Christi non  
exhiberi cum his REBUS, pane & vino, sed RESILLAS, panem & vi-  
num, prorsus evanescere; quomodo igitur eiusdem sit Apologia sen-  
tentia cum Papistis?

57. Et quae haec est Sacramentariorum vertigo & inconstantia,  
Pezelij praesertim & applaudentium fabulis eius, quod in Marpura  
gensi Colloquio Lutherum, Philippum, Brentium, & reliquos nostra-  
rum partium Theologos, penè in Zwinglianos esse transformatos  
fingunt, adeò ut ibi in OMNIBUS controuersis articulis plena  
rium consensum in initum; in articulo autem de Sacramento cœnae quæ-  
stionem mansisse fabulentur tantummodò de modo & forma lo-  
quendi de corporali praesentia; & nihilominus eosdem paucis men-  
sibus exactis, Auguste ad errorem Pontificium in capite de cœna  
Sacramento relapsos impudentissimè fabulantur: quod verè est scri-  
bere libros metamorphoseos vanitate sua multis parasangis Ovidia-  
nos illos superantes.

58. Sed ut evidentius pateat ecquid de illa mutata Confessione  
habendum sit: hoc dilemmate urgemus aduersarios, ut ingenuè no-  
bis edisserant, anne mutata confessionem arbitrentur scriptam  
sensu eo, quo scripta erat invariata prima, uel eo sensu, quem incon-  
troversia Eucharistica tenent Calviniani?

59. Si priore sensu, siue illum Pontificium fuisse fingant Aduersa-  
rij, siue nostrum fuisse largiantur: cur ergò se confessionis huius profi-  
tentur socios? num enim & ipsi tandem vel ad nos quod optandum e-  
rat) vel ad Pontificios (quod abominandum) se recipient?

60. Sin verò mutata Confessione sensum cum in articulo Cœnae  
tribuant, qui hodie Calvinistarum est: Deum immortalem, quibus  
quantisq; paradoxis, absurditatibus, falsis testimonijs & contradic-  
tionibus in omnem aeternitatem inextricabilibus se suamq; illam Edis-  
sionem variatam involuent?

61. Primò enim quia mutilata haec confessio venditatur nomine  
Princè



Principum, qui prius invariata subscripserant: nonne per hanc editionem falsam contra preceptum octavum fingentur illi fuisse in sententia Sacramentariorum quam illustri ac solenni subsignatione manuum suarum in primæva Confessione, ut ea Augusta oblata est, reiecerant?

62. Et quid fiet de Protestantium ECCLESIIS? quarum doctrinam suscripti Principes & Ciuitates recensent? Num enim hæc variata Confessio licentiam istam sibi plusquam poeticam sumet, contra historias & acta publica in Sole veritatis exposita mentiendi, ECCLESIAS protestantium Ordinum, tempore Comitiorum Imperalium Anni trigesimi professas esse doctrinam Calvinianorum in loco de Cæna Domini?

63. Et quis in æternum excusare ullo prætextu poterit, quod per illam variatam editionem ne quidem defunctis Principibus, ac cum primis Electori Ioanni, beata & nunquam intermoritura memoria parcitur? Qui cum diem suum obierit Anno 32. biennio, postquam ipsius inclita Celsitudo unà cum socijs suam illam Confessionem Augustæ obtulerat: iudicet pius lector, an æquum sit, Electoris illius nomen variatæ confessioni subijcere? id est, in eam suspicionem Celsitudinem eius adducere, quasi suam in articulo decimo confessionem ipse quoque maturitiam mortuus, id est, anno post obitum suum octauo, cum quidem vivus integram eam semper & illibatam custodierit?

64. Ad hæc non licuit homini privato Confessionem istam, quæ est totius Ecclesiæ his nouissimis temporibus Symbolum, ad suum libitum fingere & refingere.

65. Multoquæ minus primævo & originali sensu, in quo scripta, comprobata, sigillis Principum, & illustri subscriptione firmata, annis insuper aliquot piè defensa erat, exturbato, flectere in sensum eum, eum quem priuatus quispiam multo post demum à prioribus diversum conceperat: & hunc sensum novum Calvinisticum affricare Principibus, defunctis præsertim, assuere per falsum testimonium Ecclesiis, quasi hæc olim ita senserint,



ita docuerint: quemadmodum initia articulorum habent: Docent ec-  
clesia nostra &c. Item DOCENT,, Docent &c. quod non ad unum a-  
liquem solum, sed, ut ex initio Confessionis hac luce clarius effulget,  
ad integras Ecclesias refertur,

66. Estq; crassissimum commentum, ne quid dicam gravius, quod  
Pezelius, alijq; fabulatores absq; fronte negantur; mutationi decimi  
articuli à nemine ex Ecclesiis Evangelicis, ac ne à Luthero quidem  
fuisse contradictum.

NB

67. Nam elector Ioannes Fridericus, sanctæ recordationis, per Can-  
cellarium suum D. Bruck curavit Melanthoni significandum, displice-  
re sua Celsitudini mutationem istam, non requisito suo & ceterorum  
principum protestantium consensu susceptam, eò quod (ut verba for-  
malia instructionis germanicæ Cancellario Saxonico data habent)  
" Augustana Confessio sit Principum Confessio: & ista mutationi de-  
" tur aduersarijs ansa imputandi protestantibus, quod de doctrina sua  
" non sint certi, sed inconstantes, atq; insuper POPVLVS hinc offen-  
" datur.

68. Ex quibus evidens est, Variationi isti contradixisse Principem  
Electorem; offensum eam fuisse populum: & Lutherum quoq; hoc no-  
mine cum Philippo grauitè exostulasse constat.

69. Quid etiam superioris Germania Ecclesie de ista mutatione sen-  
serint, non ita prorsus obscurum est.

70. Et constat ex Actis Ratisbonensis colloquij Anno 41. habitæ  
variationem eam non solum à pontificijs oppugnatam, sed etiam à  
nostris sic ei contradictum fuisse, ut quæ in gratiam Zvinglianorum  
in posteriore editione dispuncta fuerant, veluti, verbum (AD SINT)  
& antithesis (improbant secus docentes) Zvinglij dogmati opposita;  
necessum fuerit in eo colloquio solenniter in integrum restitui.

71. Verbum (ADSINT) restitutum est in articulis Granuelletum ex-  
hibitis hunc in modum: Fatemur in cæna verè & realiter Corpus &  
Sanguinem Christi ADESSE, & cum pane & vino exhiberi sus-  
tentibus.

Anti-



72. *Antithesis porro (& improbant secus docentes) in integrum est restituta his verbis: Testati sumus (in confessione Augustana) nos IMPROBARE eos, qui negant ADESSE & verè sumi Corpus Christi.*

73. *Nec verò ignotum nobis est, quibus artibus effectum sit, ut aliquandiu tolerata fuerit illa variata Confessio.*

74. *Prætebatur enim non causa vera, quæ suberat, nempe secessio ad Sacramentarios (quamvis haud ambigè colligerent viri cordati & intelligentes, in gratiam sectæ zwingliane, decimum articulum esse falsatum) sed colores inducebantur alij, præcipuè autem obtendebatur fusior explicatio articuli de iustificatione.*

75. *Quasi verò non millies præstiterit, eum locum scripto tractari alio, quàm ut corrumperetur publicum Symbolum Ecclesie. Et quid mutatio articuli de cæna ad caput iustificationis? ὁὐδ' ἐπ' ἡγοῶν Διδόσκω*

76. *Nihilominus ista huiusmodi gerebantur occultis fraudibus, ut Principes fucum non animadverterent? donec tandem circa 71. 72. & sequentes Annos DEVS pestilentissimas illas molitiones in aper- tam lucem hominum produxit, ubi palàm factum est, sub illa falsata Confessione iam inde ab anno 40. nihil quesitum aliud, quàm ut lata panderetur porta Sacramentarijs in Confessionem Augustanam sese vulpina calliditate ingerendi.*

76. *Qua insigni fraude animadversa, illustrissimi Heroes in præ- fatione libri Concordie sanctè testati sunt, se posteriores illas edi- tiones nunquam ante hac intellexisse aliter, quam primam; cumque postea sint edocti, sub verbis editionum posteriorum quosdam occultasse impuram de cæna Domini doctrinam, que inconfessi- one Augustæ exhibita manifestè improbatæ sit: idcirco se eam Augustanam Confessionem quæ Carolo V. Anno. 1530 in comitijs sit exhibita, quæque originali primitus oblato & in Archivis imperialibus asservato undiquaque respondeat, SOLAM & unicam agnoscere pro authentica*

78. *Hæc, quæ dicta sunt hætenus, sufficere poterant ad protervis*



proterviam Calvinistarum retundendam. Sed coronidis loco places  
previbus ostendere, adeò illas Augustane Confessione addictos non  
esse, ut in ea non unum aut alterum, sed distinctos articulos septem  
flagitioso dogmate suo penitissimè convellant.

79. Articulo secundo tradit Confessio, omnes homines nasci  
sine metu DEI, sine fiducia erga DEVM: tradit, vitium originis da-  
mnare & afferre nunc quoq; eternam mortem, his, qui non renascun-  
tur per baptismum & Spiritum sanctum.

80. Econtra Calvinus docet, liberos Christianorum à PARENTI-  
BUS sanctificationem ducere.

Calvin. lib  
4 instit.  
cap. 56  
sect. 15  
Beza in  
scriptis  
Thesibus  
Coll. Mon  
pelg. pag  
435. In.  
quest. Re-  
spons.

81. Et Beza scribit, infantes NASCI IN FOEDERE: Et inter-  
veniente piorum parentum fide fieri, ut NATI vel NASCITURI in-  
fantes sancti sint, id est, in foedere censeantur ac proinde serventur  
quantumvis alibi dicat, illos non per baptismum, nec in baptismi  
momento, sed multò demùm post, ex auditu verbi regenerari.

82. Ab articulo tertio quantum dissideant Calviniani, ex eo po-  
tenter elucet, quòd Confessio quidem Christum ideò ad cælos ascen-  
disse memorat, ut sedeat ad dextram Patris, & perpetuò regnet &  
dominetur omnibus creaturis.

83. Que verba ad Christum ratione carnis spectare, tantò mi-  
nus dubitari potest, quòd absurdum sit fingere, Christum humanita-  
te sua ideò ascendisse, ut Deitas sedeat ad dexteram Patris, & domi-  
netur omnibus creaturis: haud aliter ac si ascensus humanitatis im-  
petrasset Deitati sessionem ad dextram & gubernationem super om-  
nes creaturas: quo nihil auditu est absurdius.

84. Ad Christum ergò, quæ homo est, referenda sunt hæc, quòd vi-  
delicet ascenderit ad cælos humanitate sua, ut secundùm hanc as-  
cendentem Naturam sedeat in dextra Maiestatis; & omnibus crea-  
turis dominetur: id quod citra realem communicationem omnipoten-  
tiæ & omnipresentiæ verum esse nequit: quemadmodum cum eò per-  
venerimus, ostendemus plenius, simulq; argumentum a sininum illud,  
quo tamen mirificè sibi placent Aduersarij, refellemus, quod à consensu  
Pontificiorum cum hoc tertio articulo ad labefactandam Omnipre-  
sentie maiestatem inscitè ducitur

In



85. In Articulo nono Confessionis Augustane docetur, quod  
baptismus sit necessarius ad salutem, quodq; pueri PER baptismum  
recipiantur in gratiam DEI.

86. Huic pronunciato pertinaciter obluantur Calvinista, qui  
salutem hominum non à baptismo, sed ab absolute predestinationis  
simplici decreto pendere somniant.

87. Qui etiam pueros non per baptismum in gratiam re-  
cipi statuunt, quippe ex illorum opinione inde ab utero mater-  
no sanctos & in fœdere gratie NATOS: quantumvis nec ante  
baptismum, nec in baptismo ulla regeneratio aut fides ulla in  
parvulis accendatur. Quod est fingere applicationem gratia  
DEI sine fide, secus quam Christus Iohan. 3 & Marci. 13. cen-  
set, & Epistola ad Hebraeos pronunciat. Hebr. 11. Est fingere ad-  
optionem & ingressum in regnum DEI absq; regeneratione, con-  
tra Salvatoris gravissimum pronunciatum, Iohan. 3. Amen amen  
dico vobis, nisi quis renatus fuerit è supernis, non potest videre  
regnum DEI.

88. De decimo Articulo dictum est in precedentibus, quod  
is cum Sacramentariorum dogmate aduersa quasi fronte pugnet.

89. In duodecimo Articulo damnantur Anabaptista, qui negant  
semel iustificatos posse amittere Spiritum sanctum.

90. Hunc errorem Anabaptisticum quoniam Calvinus & qui  
hunc (cæcum cæci) sequuntur mordicus defensant asserentes, eos qui  
semel sint iustificati, ne per atrocissima puidem peccata, cuiusmodi  
Rex David deie stabili adulterio homicidioq; commisit, excidere posse  
Spiritus sancti gratia: conclamatum est, Calvinistas in hoc etiam ar-  
ticulo confessioni Augustane apertum bellum indicere.

91. Decimus tertius articulus fatetur, Sacramenta esse signa  
& testimonia voluntatis DEI erga nos ad excitandam & confir-  
mandam FIDEM in his, qui utuntur proposita: Item: utendum esse  
sacramentis ita, ut fides accedat.

92. Quid verò Calvinus cum suis discipulis? Hi baptismum pue-

roram



ru in fingunt talem, in quo Ne VNVS quidem omnium puerorum  
vel regeneretur vel fidem concipiat: ut pote quæ demum in adulta æ-  
tate ex alio principio, videlicet ex auditu verbi nascatur.

93. Deniq, cum decimus nonus articulus omnem causam & cul-  
pam peccati removeat à DEO, & in voluntatem transferat Dia-  
boli & impiorum, quæ non ADIVVANTE DEO, averterit se à  
DEO.

94. Calvinus econtrà scribit, cecidisse hominem, DEI providentiæ  
sic ORDINANTE. Imò DEVM ad tentationem illam hominis Diabo-  
lo linguam serpentis præter ordinarium naturæ usum commodasse,  
quemadmodum quis alteri gladium & arma suppeditet,

95. Idem docent Sacramentarij simul omnes, quotquot Calvini  
dogma secuti præscientiam DEI cum prædestinatione confundunt,  
& præscientiam divinam non tantum noticiam completi rerum  
præscitarum, sed earundem esse quoq, causam impiè contendunt.

96. Sic enim DEVS præscientiæ suæ vi non tantum Adamum ad  
lapsum, sed etiam Cainum ad fratricidium, Sodomitas ad horrenda  
scelera &c. ordinasset & adegisset: Omnisq, omnium flagitiorum  
causa prima constitueretur ipse Deus: quod asserere plusquam Tur-  
cica & Mahametica foret impietatis & immanitatis.

97. Cùm igitur in tot Articulis à Confessione Augustana secesse-  
rint Calviniani, quis non miretur enormem & effrontem eorum impu-  
dentiam, quòd hoc Symbolum sibi pleno ore vendicare, veros autem  
eius possessores & vniuersos Confessores ac defensores ab illius possessione  
deturbare, nec coram DEO nec coram hominibus perhorrescunt?

F I N I S.



AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK









4.

Disputatio Prima  
DE AVGVSTA  
NA CONFESSIONE,

Cuius Theses subiectas,

GVBERNANTE DEO, PRÆSIDE  
ÆGIDIO HVNNIO, S. Theol. D. & Professore,  
M. IOANNES VVEGELINVS Augstanus,  
in Collegio Disputationum Theologicarum  
privato, die 23. Iunij, horis pomeri-  
dianis, defender.



Cum Gratia & Priuilegio Electorali.

VVITTEBERGAE.

Excudebat Matthæus Welack.

ANNO. M. D. XCII.

Handwritten signature or mark.

